

32

CONSTITUTIONES

Synodi Vincennopolitanæ II.

IN ECCLESIA STI. JOANNIS, INDIANAPOLI,

MENSE DECEMBRI, HABITÆ

ANNO R. S. 1878.

INDIANAPOLI:

DOUGLASS & CARLON, TYPOGRAPHI.

1879.

T
64

CONSTITUTIONES

Synodi Vincennopolitanæ II.

IN ECCLESIA STI. JOANNIS, INDIANAPOLI,

MENSE DECEMBRI, HABITÆ

ANNO R. S. 1878.



INDIANAPOLI:

DOUGLASS & CARLON, TYPOGRAPHI.

1879.

BX
1417
V5
A4
1878

SYNODUS VINCENNOPOLTANA II.

Anno Reparatae Salutis 1878 Habita.

Literis ad universum Clerum tam regularem quam saecularem, die 11 Nov. anni currentis datis, Synodus Vincennopolitana II convocata est, et die 10 Decembris Anni R. S. 1878 inchoata.

Hora nona coram Ven. Clero, Ordinarius Missam de Spiritu Sancto, in Ecclesia Sti. Joannis, Indianapoli, celebravit. Deinde ad sedem, assumptis vestibibus pontificalibus, medium coram altare se sistit genuflexum, una cum duobus Diaconis; et cantores Psalmum et Litanias cantabant; et, cantu expleto, Diaconus Ad. Rev. Aug. Bessonies Evangelium cantavit. Post thurificationem, Ordinarius ad faldistorium in suppedaneum altaris procumbens, cantum hymni de Spiritu Sancto incepit, omnibus sequentibus; et post hymnum, concionem habuit *De Charitate Fraternali*. Allocutione habita, officiales Synodi nominavit:

<i>Promotorem,</i>	REV. DNUM. J. M. MISSI.
<i>Secretarios,</i>	REV. DNUM. J. MOUGIN, REV. DNUM. D. O'DONAGHUE.
<i>Ostiariorum,</i>	REV. DNUM. D. CURRAN, REV. DNUM. J. McCABE.

ADFUERUNT SYNODO:

- Adm. Rev. D. Augustus Bessonies, V. G.
 Adm. Rev. D. Antonius Scheideler, V. G.
 Rev. D. Ernest Audran.
 Rev. D. H. Alerding.
 Rev. D. Dionysius Abarth, O. S. F.
 Rev. D. Leonardus Brandt.
 Rev. D. Bernardus Brueggemann.
 Rev. D. L. M. S. Burkhardt.
 Rev. D. Ferdinandus Bergmeyer, O. S. F.
 Rev. D. Joannes Baptista Chasse.
 Rev. D. Clemens J. Conrad.
 Rev. D. Gulielmus Doyle.
 Rev. D. Joannes Dion.
 Rev. D. J. H. Diestel.
 Rev. D. Julius J. Duddenhausen.
 Rev. D. Josephus Dickmann.
 Rev. D. Aloysius Danenhoffer.
 Rev. D. Januarius M. D'Arco.
 Rev. D. Joannes Gulielmus Doyle.
 Rev. D. Franciscus de Langie.
 Rev. D. Bernardus Ewers.
 Rev. D. Conradus Elison, O. M. C.
 Rev. D. Edouardus Faller.
 Rev. D. Patricius R. Fitzpatrick.
 Rev. D. Meinradus Fleischmann.
 Rev. D. Josephus A. Fleischmann.
 Rev. D. Arsenius Fahle, O. S. F.
 Rev. D. Joannes Gueguen.
 Rev. D. Joannes J. Gabriel.
 Rev. D. Joannes P. Gillig.

- Rev. D. Ludovicus Gueguen.
 Rev. D. Mathias A. Gillig.
 Rev. D. Franciscus X. Girolt.
 Rev. D. Michaelis Guthneck.
 Rev. D. Ferdinandus Hundt.
 Rev. D. Isidorus Hobi, O. S. B.
 Rev. D. Michaelis Heck.
 Rev. D. Franciscus Ignatius Klein.
 Rev. D. Henricus H. Kessing.
 Rev. D. Joannes Baptista Kelly.
 Rev. D. Alexander Koesters.
 Rev. D. W. Kemper.
 Rev. D. Thomas X. Logan.
 Rev. D. Josephus Lesen, O. M. C.
 Rev. D. Alphonsus Munschina.
 Rev. D. Patricius McDermott.
 Rev. D. Aegidius J. Merz.
 Rev. D. Andreas Michael.
 Rev. D. Dionysius J. McMullen.
 Rev. D. Josephus Merckl.
 Rev. D. Eugenius F. McBarron.
 Rev. D. Franciscus M. Mousset.
 Rev. D. D. Marzetti, O. M. C.
 Rev. D. Cajetanus McEvoy, O. M. C.
 Rev. D. Dionysius O'Donovan.
 Rev. D. Timotheus O'Donaghue.
 Rev. D. Leo Osredkar, O. S. F.
 Rev. D. Bartholomeus Piers.
 Rev. D. Fredericus Gulielmus Pepersack.
 Rev. D. Hugo Peythieu.
 Rev. D. Hippolitus Pierrard.

Rev. D. Jacobus Pfeiffer.
 Rev. D. Michaelis Quinlan.
 Rev. D. Franciscus J. Rudolf.
 Rev. D. J. B. H. Seepe.
 Rev. D. H. J. Seibertz.
 Rev. D. J. F. Sondermann.
 Rev. D. E. J. Spelman.
 Rev. D. Antonius A. Schenck.
 Rev. D. J. P. Sassel.
 Rev. D. Caspar Seiler.
 Rev. D. Franciscus Seegmuller.
 Rev. D. Franciscus Torbeck.
 Rev. D. Fredericus Viefhaus.
 Rev. D. Romanus Weinzoepflen, O. S. B.
 Rev. D. Georgius Widerin.

ABFUERUNT A SYNODO DE LICENTIA ORDINARII:

Rev. D. Joannes Gulielmus Book.
 Rev. D. Gulielmus Bultmann.
 Rev. D. Philippus Doyle.
 Rev. D. Gustavus Ginnsz.
 Rev. D. Bernardus Kintrup.
 Rev. D. Antonius Oster.
 Rev. D. Josephus Petit.
 Rev. D. Joannes Stolz.
 Rev. D. Jacobus Stremler.
 Rev. D. Josephus Schuck.
 Rev. D. Joannes Schoentrup.
 Rev. D. Franciscus X. Unverzagt.

Deinde Rev. Dnus. Promotor Decreta de Residentia,

necnon de Fidei Professione legit; et lectione completa, Rev. Dnus. a Segretis Professionem Fidei, adjuncta clausula de Oecumenico Vaticano Concilio, elata voce recitavit, Clero simul eandem professionem emittente. Postea Ordinarius Ven. Clerum de selectione Judicum Causarum mane facienda monuit, ut omnes schedis parati venirent. Deinde Rev. Dnus. Diœcesis Cancellarius, nomine Ordinarii, schema constitutionum Synodaliū legit; quo facto, Ordinarius Commissionem decem Sacerdotum ex primariis, qui secum de rebus pecuniariis conferrent, selegit. Intimata sessione privata, hac die, hora 2^a cum dimidio, tenenda, et data benedictione, Episcopus Clerum dimisit.

SESSIO PRIVATA I.

DIE 10^a DEC. 1878.

Hora statuta, Clero in presbyterio Ecclesiae Sti. Joannis congregato, Ordinarius mozzetta supra rochettum indutus, et post orationem sedens in medio ad altare, a latere Evangelii, Rev. Dnum. Cancellarium partem schematis quae est Titulus Primus, *De Causis Matrimonialibus*, legere rogavit. Facultate omnibus data dicendi quid sibi de schemate et propositionibus videretur, discussio hujus partis absoluta est. Dicta oratione omnes discesserunt.

SESSIO SECUNDA SOLEMNIS.

Die 11, hora 9, coram Ordinario et Clero in Ecclesia Sti. Joannis, Admodum Rev. Dnus. Augustus Bessonies, Vicarius Generalis, Missam pro Defunctis Episcopis et Sacer-

dotibus celebravit. Post Missam Ordinarius, assumptis vestibus sacris, et omnibus a Pontificali Romano praescriptis rite adimpletis, ad Altare sedens, Ven. Clerum *De Sacerdotii Dignitate et Officiis* allocutus est. Postea Reverendus Dnus. Promotor Instructionem Sacrae Congregatione de Propaganda Fide, *De Causis Disciplinariis et Criminalibus*, die 20 Junii, 1878, datam, alta voce legit. Ordinarius monito clero Episcopum, licet consilium Synodi audire teneatur, non tamen id sequi teneri, utpote qui Judices seligere ipse solus just habeat scrutinium pro Judicibus Causarum indixit et scrutatores nominavit Rev. Dnum. Audran et Rev. Dnum. Faller. Scrutino expleto, Ordinarius ex iis qui majorem suffragiorum acceperant numerum quinque selegit, nempe:

Rev. Dnum. Patricium McDermott.

Rev. Dnum. Jacobum Stremmer.

Rev. Dnum. Joannem Mouglin.

Rev. Dnum. Ernestum Audran.

Rev. Dnum. J. B. H. Seepe.

Quo facto, Ordinarius indicata hora 2 cum dimidio pro sessione secunda privata, data benedictione, Ven Clerum dimisit.

SESSIO SECUNDA PRIVATA.

Die 11, hora 2 cum dimidio congregato Clero uti heri, Ordinarius lectionem Secundi Tituli *De Reditibus; De Emolumentis; nec non de Debitis Contrahendis* indixit.

De hoc Titulo omnes libere quae sibi videbantur exposuere et discussione absoluta, et oratione dicta, unusquisque ad sua reversus est.

Pluribus Patribus, ob causas urgentes, discedendi licentia data est.

SESSIO III, SOLEMNIS.

Die 12 Dec. hora nona, Ordinarius coram Ven. Clero Missam de Ssma. Trinitate celebravit, et post Missam, assumptis vestibus sacris, et expletis omnibus juxta Pontificale Romanum, concionem habuit *De Disciplina Ecclesiastica, Animarum zelo*, atque *De Puerorum Catholica Institutione*.

Postea per Rev. Dnum. Cancellarium lecti sunt Tituli *De Disciplina Ecclesiastica*, necnon *De Rubricis* et *De Consuetudinibus*, facta unicuique potestate dicendi quid sibi videretur. Omnibus auditis, universum schema, cum emendationibus, lectum est, et rogatu Ordinarii omnes singulis Titulis consensum vel dissensum significarunt.

Titulus I. unanimem consensum sortitus est.

Titulus II. adsentientibus sexaginta duobus, renuentibus vero duodecim, approbatus est.

Titulus III. omnibus, duobus exceptis, placuit.

Titulus IV. omnes, nemine excepto, approbarunt. Quibus peractis Ordinarius universas Constitutiones Synodales jam lectas et approbatas auctoritate sua confirmavit et observari jussit. Nominatis Commissionibus de libris Scholarum, tam pro Germanis quam pro Anglice loquentibus, absoluta est Sessio, et Benedictione data, Ordinarius finem Synodo imposuit.

CONSTITUTIONES
SYNODI VINCENNOPOLITANÆ II.

TITULUS I.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

I. In Dioecesi Vincennopolitana vigente post debitam promulgationem Concilii Tridentini Canone *Tametsi*, De Matrimoniis clandestinis; et extensa insuper ad universam Dioecesim Declaratione Benedicti PP. XIV super dubiis spectantibus matrimonia in Hollandia et Belgio, data die 4^a Nov. 1741, omnia relate ad matrimonia adamussim juxta hunc Canonem et hujusmodi Declarationem peragenda sunt.

II. Episcopus, potestate ordinaria gaudens, unumquemque sacerdotem ad matrimonii adsistentiam delegat, ita ut valide et rite coram ipso contrahatur; attamen non licet sub poena nullitatis sacerdotibus qui non sunt alicui Ecclesiae praefecti, sed operam Rectori Ecclesiae praestant, sine licentia Rectoris illius Ecclesiae, matrimoniis adsistere; hujusmodi vero licentia rite intelligitur data, quando talem sacerdotem Rector uti adsistentem recipit.

III. Sacerdotes, annuente Rectore alicujus Ecclesiae,

matrimoniis fidelium ejus curae commissorum adsistere possunt; non aliter, sub poena nullitatis matrimonii.

IV. Rectoris subditi sunt; 1° qui intra fines ejus quasi-paroeciae degunt, et 2° qui pro sedendi loco in ejus Ecclesia solvunt, vel, non solvendo, habitualiter illam Ecclesiam frequentant. Tales subditi omnino coram ipso sacerdote Rectore, vel ejus adsistente, matrimonium contrahere debent, sub poena nullitatis matrimonii si aliter faciunt.

V. Dispensationes matrimoniales omnino juxta Instructionem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 9^a Maii 1877 datam, et jam a Nobis promulgatam, petendae sunt; sub poena nullitatis dispensationis, si secus fiat.

TITULUS II.

DE REDITIBUS; DE EMOLUMENTIS; DE DEBITIS CONTRAHENDIS

I. Reditus Ecclesiae componatur; 1° ex solutionibus pro sedendi locis; 2° ex collectis diebus festivis habitis; 3° ex pecunia modis haud ordinariis collata, per nundinas, etc.

II. Ex hujusmodi reditu solvendum est sacerdotum honorarium, scilicet:

Pro aliquibus Ecclesiis, postea per Ordinarium determinandis, solvendi sunt	octingenti nummi	(\$800.00)
Pro Ecclesiis secundae classis	septingenti nummi	(\$700.00)
Pro " tertiae	sexcenti nummi	(\$600.00)
Pro " quartae	quingenti nummi	(\$500.00)

III. Gaudeant Sacerdotes tam stipendiis Missarum quam juribus ut aiunt stolae; sed ultra honorarium sub nullo praetextu quocumque modo, titulo sustentationis recipiant; ita ut omnes domus impensas, praeter eas quae ad illu

minandum et calefaciendum inserviunt quas Ecclesiae reditus providebit, ipse Rector solvat. Quae vero ad usum domus necessaria sunt, sedilia utensilia &c., &c., Congregationis est procurare; ad quam etiam haec omnia pertinebunt.

IV. Ecclesia quae habet sacerdotem adsistentem vel plures, ipsis solvere debet honorarium quadringentorum nummorum (\$400).

V. Quod spectat ad jura stolae, Rector omnia accipiat; adsistentibus vero Sacerdotibus secum conviventibus victum sine solutione quacumque ex parte ipsorum praebere debet.

VI. Non licet Congregationi vel Aedituis una cum Rectore honorarium statuere; ad Ordinarium hoc pertinet.

VII. Sacerdotibus nullo pacto permittitur, sine Episcopi licentia, pro Ecclesiis suis debita contrahere: 1^o quae superant nummos tercentos, si Rector honorarium \$700 aut amplius recipit: 2^o quae superant nummos centum et quinquaginta, si Rector honorarium \$600 aut minus recipit.

VIII. Omnis sacerdos qui curam habet animarum, Ecclesiae vel missioni praefectus, Ordinario mense Martio quovis anno, in posterum, rerum omnium quibus praest, praesertim vero redituum et impensarum, donationum, etc., rationem reddere debet.

TITULUS III.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

I. Clerici non utantur nisi vestibus nigri coloris, et circa collum habeant fasciam lineam super pannum nigrum,

quae vulgo *Roman collar* dicitur, et munditiam et decen-
tiam sine ornatu in habitu curent.

II. Meminerint sacerdotes se semper sub oculis populi
esse qui facile scandalum accipit; insuper inveniri sem-
per qui libenter de defectibus sacerdotis loquentur. Cave-
ant ne scandalum pusillis ingerant; abstineant a potibus
in locis publicis; et, quod majus est, satagant ne damnum
actibus inordinatis, quocumque modo Religioni inferant, ut-
pote qui de hoc iudicium strictissimum apud Severum Ju-
dicem subituri sint.

III. Ne fideles, ultra quod justum est, se in rebus Eccle-
siae ingerant, renovamus hic canones et regulas Concilii
Provincialis Neo-Eboracensis III, Sancta Sede approbatos,
et postea in Concilio Plenario Baltimorensi II relatos, ac
denuo a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Ssmi D.
N. Sanctae memoriae Pii PP. IX nomine confirmatos, qui
que sunt leges Ecclesiae in hisce Statibus Foederatis. Ex-
tant apud Conc. Plen. Balti. II, Titulo IV., De Bonis
Ecclesiasticis N. 201:

“ 201. Ut autem infra debitos limites cohibeantur aeditui
laici, quocumque demum modo eligantur, hæc jam in
Concilio Provinciali Neo-Eboracensi Tertio statua, et ab
Apostolica Sede recognita, ad omnes harum provinciarum
ecclesias extendimus, et ubique servari consulimus.

‘ Visum est Patribus, *præscriptionibus ac declarationibus
inhærendo ab Apostolica Sede sæpius editis, præsertim vero a
Summis Pontificibus Pio VII., et Leone XII. in suis literis
“ Non sine magno,” die 3. April, 1823, et “ Quo longius,”
die 16 Aug., 1828, regulas quasdam mature compingere,
quæ normam præbeant ac veluti formam tum aedituos
eligendi, tum eorum acta moderandi. Sunt vero hujus-
modi:*

1°. 'Ut ne ille *Ædituorum* numero adsciscatur, de quo, sub ipsam electionem, vel paullo ante, constiterit eum Societati cuivis secretæ nomen dedisse, vel Sacramenta Paschalia non suscepisse.

2°. 'Probe intelligant *Æditui* nefas sibi *omnino* esse, vel minimam bonorum Ecclesiæ partem in suos usus quovis titulo vel prætextu traducere, aut *in extraneos, nisi de venia Episcopi, ac sevatis constitutionibus Apostolicis de rorum Ecclesiasticarum alienatione.*

3°. 'Ordinariis sumptibus exceptis, ne liceat *Ædituis* pecuniæ summam, ultra trecentos scutatos nummos, in ullum peculiare opus erogare, nisi Episcopus de scripto assentiatur.

4°. 'Norint *Æditui*, penes Episcopum esse arbitrium nominandi et creandi Parochum Ecclesiæ, eumque in officio detinendi, vel contra. Ipsius quoque Episcopi unice est, certam nummorum summam Pastoribus animarum attribuere pro eorundem sustentatione; neque licet *ædituis* stipendia ejusmodi retinere, vel imminuere, vel augere.

5°. 'Pastoris est designare Organistam, cantores sacristam, custodem seu apparitorem, ludimagistrum, (siqua schola in Parochia exstat) et hujus generis homines alios, qui Altari vel Templo inserviant.

6°. 'Caveant *Æditui* ne, Parocho inconsulto, quidpiam tanquam legem aut normam Parochianis præfiniant. Siqua porro discrepantia Pastorem inter et *Ædituos* de rebus gerendis conferentes exoriatur, nec dissensionem componere ipsi per se valeant; controversiam dirimet Episcopus, cujus iudicio et sententiæ parebunt omnes.'"¹

¹ Conc. Prov. Neo-Eborac. III., anno 1861 celebratum, Neo-Eboraci, 1862, pp. 25, 26.

Hos Canones ac Regulas volumus Rectores omnes, ad populum concionantes, quam primum et legere et explicare. Intelligere debent fideles omnem potestatem in Ecclesia a Domino Nostro Jesu Christo emanare; qui Vicario suo Petro et Successoribus suis hanc suam potestatem contulit; et per eos Episcopis et sacerdotibus solum-

modo, ad quos pertinet Ecclesiam regere; minimo vero fidelibus, quibus imposuit Christus officium obedientiae. Quod vero ad collatas pecunias attinet, nihil obstat quominus Sacerdotes Rectores, quovis anno decurrente, eandem in scriptis quam mittere Ordinario debent relationem populo suo exhibeant.

TITULUS IV.

DE RUBRICIS ET DE CONSUEUDINIBUS.

Optimum fore judicamus et enixe omnes hortamur, ut quaecumque in Ecclesia in publicis cæremoniis fiunt ad normam Ritualis Romanae Ecclesiae, Matris et Capitis omnium Ecclesiarum, peragantur; praesertim ob varietatem gentium quae fideles sunt nostrae Dioecesis.

Quod vero ad Sacramenta pertinet, nullo alio nisi Rituali Romano, rite impresso, licet uti.

Hos Canones ac Regulas in Synodo Vincennopolitana II, Nobis praesentibus, a Clero Nostrae Dioecesis approbatos, auctoritate Nostra Episcopali approbamus, confirmamus et ab omnibus observari jubemus.

† FRANCISCUS SILAS,

Episcopus Vincennopolitanus.

Factum Indianopoli, Die 12^a, Decembris an. R. S. 1878.

INSTRUCTIO

S. Congregationis de Propaganda Fide

De Modo servando ab Episcopis Foederatorum Septentrionalis
Americae Statuum in cognoscendis et definiendis causis
criminalibus et disciplinaribus Clericorum.

QUAMVIS Concilium plenarium Baltimoreense II ab Apostolica Sede recognitum, certam quamdam iudicii formam, iam antea a concilio provinciali S. Ludovici sancitam, in criminalibus clericorum causis ab ecclesiasticis curiis dioecesium Foederatorum septentrionalis Americae Statuum pertractandis servandam esse decreverit, experientia tamen compertum est, statutum iudicii ordinem haud undequaque praem esse ad querelas eorum praecavendas, quos poena aliqua mulctari contigerit. Saepe enim postremis hisce temporibus accidit, ut presbyteri iudiciis ea ratione initis latisque sententiis damnati, remoti praesertim ab officio rectoris missionarii, huc illuc de suis Praelatis conquesti fuerint et frequenter etiam ad Apostolicam Sedem recursus detulerint. Dolendum autem est, non raro evenire, ut in transmissis actis plura, eaque necessaria, desiderentur atque perpensis omnibus, gravia saepe dubia orientur circa fidem documentis hisce in causis allatis habendam vel denegandam.

Quae omnia S. Congregatio fidei propagandae praeposita serio perpendens, aliquod remedium hisce incommodis parandum, ac ita iustitiae consulendum esse censuit, ut neque insontes clerici per iniuriam poena afficiantur, neque alicuius criminis rei ob minus rectam iudiciorum formam a promerita poena immunes evadant. Quod quidem facili pacto

obtineret, si omnes praescriptiones a sacris canonibus sapienter editas pro ecclesiasticis iudiciis, praesertim criminalibus, ineundis et absolvendis servandas omnino esse praeciperet. Verum animo reputans, in praedictis Foederatorum Ordinum regionibus id facile servari non posse, ea ratione providendum esse duxit, ut saltem illae de admissio crimine accurate peragantur investigationes, quae omnino necessariae existimantur, antequam ad poenam irrogandam deveniatur.

Itaque SSmo Domino Nostro Divina Providentia PP. Leone XIII approbante, in generalibus comitiis habitis die 25 Iunii 1878 S. C. decrevit, ac districte mandavit, ut singuli memoratae regionis sacrorum Antistites, in Dioecesana Synodo quamprimum convocanda quinque, aut ubi ob peculiarium rerum adiuncta tot haberi nequeant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et quantum fieri poterit in iure canonico peritis seligant, quibus consilium quoddam iudiciale, seu, ut appellant, Commissio investigationis constituatur, eidemque unum ex electis praeficiant. Quod si ob aliquam gravem causam Synodus dioecesana statim haberi nequeat, quinque vel tres prouti supra per Episcopum interim ecclesiastici viri ad munus de quo agitur deputentur.

Commissionis ita constitutae princeps erit officium criminales atque disciplinares presbyterorum aliorumque clericorum causas, iuxta normam mox proponendam, ad examen revocare, rite cognoscere ac ita Episcopo in ipsis definiendis auxilium praebere. Satagant propterea oportet ad hoc munus electi, ut accuratae fiant investigationes, ea proferantur testimonia atque a praesumpto reo omnia exquirantur, quae ad veritatem eruendam necessaria censentur ac ad iustam sententiam tuto prudenterque ferendam certa vel satis firma argumenta suppeditent.

Quod si de alicuius Rectoris missionis remotione agatur, nequeat ipse a credito sibi munere deiici, nisi tribus saltem praedictae commissionis membris per Episcopum ad causam cognoscendam adhibitis, eorumque consilio audito.

Electi Consiliarii in suscepto munere permanebunt ad proximam usque Dioecesanae Synodi celebrationem, in qua vel ipsi confirmentur in officio vel alii designentur. Quod si interim morte, aut renuntiatione vel alia causa praescriptus Consiliariorum numerus minuatur, Episcopus

extra Synodum alios in deficientium locum, prout superius statutum est, sufficiat.

In causis cognoscendis, iis praesertim in quibus de rectore missionario definitive a suo officio amovendo agatur, iudicialis commissio hanc sequetur agendi rationem.

1. Ad commissionem investigationis non recurratur, nisi prius clare et praecise exposita ab Episcopo causa ad deiectionem finalem movente, ipse rector missionarius malit rem ad Consilium deferri, quam se a munere et officio sponte dimittere.

2. Re ad Consilium delata, Episcopus vicario suo generali vel alii sacerdoti ad hoc ab ipso deputato committat, ut relationem causae in scriptis conficiat, cum expositione investigationis eo usque peractae, et circumstantiarum, quae causam vel eiusdem demonstrationem specialiter afficiant.

3. Locum, diem, et horam opportunam ad conveniendum indicet, idque per litteras ad singulos consiliarios.

4. Per litteras etiam Rectorem missionarium, de quo agitur, ad locum et diem constitutum ad Consilium habendum advocet, exponens, nisi prudentia vetat, uti in casu criminis occulti, causam ad deiectionem moventem, per extensum, monensque ipsum rectorem, ut responsum suis rationibus suffultum ad ea praeparet in scriptis, quae in causae expositione vel iam antea oretenus, vel tunc in scriptis relata fuerint.

5. Convenientibus consiliariis tempore et loco praefinitis, praecipiat Episcopus silentium servandum de iis, quae in Consilio audiantur; moneat investigationem non esse processum iudiciale, sed eo fine habitam, et eo modo faciendam, ut ad cognitionem veritatis diligentiori qua poterit ratione perveniatur, adeo ut unusquisque consiliarius, perpensis omnibus, opinionem de veritate factorum, quibus causa innititur, efformare quam accurate possit. Moneat etiam ne quid in investigatione fiat, quod aut ipsos, aut alios periculo damni vel gravaminis exponant, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi, vel alii cuicumque processui coram tribunali civili.

6. Relatio causae legatur coram Consilio ab Episcopi officiali, qui etiam ad interpellationes respondebit a praeside vel ab aliis consiliariis per praesidem faciendas ad uberiores rei notitiam assequendam.

7. Deinde in Consilium introducatur rector missionarius, qui responsum a se confectum leget, et ad interpellationes similiter respondebit, facta ipsi plena facultate ea omnia in medium afferendi, intra tempus tamen a Consilio determinandum, quae ad propriam defensionem conferre possunt.

8. Si contingat, rectorem missionarium, de cuius causa agitur, nolle ad Consilium accedere iterum datis literis vocetur, eique congruum temporis spatium ad comparandum praefiniatur, et si ad constitutum diem non comparuerit, dummodo legitime praepeditus non fuerit, uti contumax habeatur.

9. Quibus omnibus rite expletis, Consiliarii simul consilia conferant, et si maior pars consiliariorum satis constare de factis arbitretur, sententiam suam unusquisque consiliarius in scriptis exponat rationibus quibus nititur expressis; conferantur sententiae; acta in Consilio ab episcopi officiali redigantur, a praeside nomine consilii subscribantur, et simul cum sententiis singulorum in extenso ad Episcopum deferantur.

10. Quod si ulterior investigatio necessaria vel congrua videatur, eo ipso die, vel alio ad conveniendum a Consilio constituto, testes vocentur, quos opportunos Consilium iudicaverit, audito etiam rectore missionario de iis quos ipse advocandos esse voluerit.

11. Singuli testes *pro causa* seorsim et accurate examinentur a praeside et ab aliis per praesidem, absente primum rectore missionario. Non requiratur iuramentum, sed si testes ipsi non renuant, et se paratos esse declarent ad ea quae detulerint iuramento, data occasione, confirmanda, fiat adnotatio huiusmodi dispositionis seu declarationis in actis.

12. Consentientibus testibus, et dirigente prudentia Consilii, repetatur testimonium coram rectore missionario, qui et ipse testes si voluerit interroget per praesidem.

13. Eadem ratione qua testes *pro causa*, examinentur testes *contra causam*.

14. Collatis tunc consiliis fiat ut supra n. 9.

15. Quod si testes nolint aut nequeant Consilio assistere, vel eorum testimonium nondum satis luculentum negotium reddat, duo saltem ex Consilio deputentur, qui testes adeuntes, loca invisentes, vel alio quocumque modo poter-

unt, lumen ad dubia solvenda requirentes, relationem suae investigationis, ad Consilium deferant, ut ita nulla via intentata relinquatur ad verum moraliter certo cognoscendum antequam ad sententiae prolationem deveniatur.

16. Omnia acta occasione iudicii in medium allata accurate in Curia Episcopali custodiantur, ut in casu appellationis commode exhiberi valeant.

17. Si vero contingat, ut a sententia in Curia Episcopali prolata ad Archiepiscopalem provocetur, Metropolitanus eadem methodo in causae cognitione et decisione procedat.

Datum Romae ex aedibus praefatae S. Congregationis die 20 Iulii anni 1878.

IOANNES CARD. SIMEONI PRAEFECTUS

JOANNES BAPTISTA AGNOZZI SECRETARIUS.

3518771

University Libraries of Notre Dame



0 0000 031 085 384

CONSTITUTIONES

Synodi Vincennopolitanæ II.

IN ECCLESIA STI. JOANNIS, INDIANAPOLI,

MENSE DECEMBRI, HABITÆ

ANNO R. S. 1878.



INDIANAPOLI:

DOUGLASS & CARLON, TYPOGRAPHI.

1879.

CONSTITUTIONES

Synodi Vincennopolitanæ II.

IN ECCLESIA STI. JOANNIS, INDIANAPOLI,

MENSE DECEMBRI, HABITÆ

ANNO R. S. 1878.



INDIANAPOLI:

DOUGLASS & CARLON, TYPOGRAPHI.

1879.